Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35536
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



.lvi.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea dum clamarem tota die. Quia die ac nocte grauata est sup me manus tua conuersus sum in erumna mea dum configitur spina. Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustiam meam domino et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum a tribulatione que circumdedit me exultatio mea erue me a circumdantibus me. Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris firmabo sup te oculos meos. Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus. In camo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris sperantem autem in domino misericordia circumdabit. Letamini in domino et exultate iusti et gloriamini omnes recti corde. Domine ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me.